

Johann Tobias Carrach

**Academiae Fridericianae Pro-Rector Io. Tob. Carrach Jctus ... Et Reliquus
Senatus Academicus Annua Sacra Pentecostalia Ad D. XVIII. Maj. M D CC LV.
Indicunt Addita Commemoratione Conatum Henrici Guilielmi Ludolfi Circa
Ecclesiae Orientalis Salutem Inde A Jan. Usque Ad D. XXX. Octobris M D CC.**

Halae: Lehmannus, [1755]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn844113549>

Druck Freier  Zugang





a. B.

48. C. 2.

57

275
Fa - 1092 (57.)

19 35
2 36
3 37
4
52
6
7
8 25
9 26
10
11 27
12
13 28
14 29
4 30
15 31
16 32
17
18 34

1. Programma de Spiritu S. para Aeto
2. Demonstratio aeternae peccatorum damnationis
3. Knapp. de recto et genuino usu argum. fidem humanam facientium in probanda divina origine
4. Programma de commemoratione condilium Henrici Guilielmi Ludolfi circa ecclesiae orient. salutem
5. Programma de Statu temporum nato Christo et singulari semporis nostri signo
6. Programma de Patriarchum ut in Palaestina sepelirentur ad Hierico.
7. Dissput. de Origine Malorae punitorumq. Vet. Test: ebraeorum.
8. Dissert. de articulis fidei christianae fundam. et non fundament.
9. Diss. de Guarantia pactorum foederumue religionis ergo percussorum.
10. Oesfeld. Dissert. de Coestasi
11. D. Huber. Dissert. ob Goll. selbst in Mosen begraben.
12. Dissert. de vera aetate scriptorum, quae super sunt Q. Septimii Florentis Tertullianipp. Diss. Ima
13. Naesselt Diss. Ilda de eadem Materia
14. Semler. Dissert. de imagine, quina in homine flans, perdita
15. Knapp. Diss. de Discrimine Crucis et poenae
16. Michaelis Diss. de Progressu et incremento Salutaris Doctrinae sub Noacho.
17. Programma de Nomine Imauetis ecclesiae olim in argumentum solati et bonae spei proposito
18. Programma de admirando humilitatis et modestatis temperamento in primordiis vitae Christi conspicuo.
19. Liberatio loci epist. ad Philip. Cap. II. v. 1 et 2 a Tautologiae vitio. Auctore Stiebritz
20. Baumgarten. Dissert. de mysterio rum christianae fidei vera indole.
21. Eiusd. Diss. de Tentatione Christi in Deserto.
22. Knapp. de Dono prophetiae in Ecclesia N. T. Dissert. I. ma
23. Eiusdem Dissert. II. Ilda
24. Baumgarten de Indole, Auctoritate numeroq. consil. oecumenicorum.
25. Meier. Diss. poenas divinas bonitati Dei non esse contrarias.
26. Semler. Diss. de Auctoritate archaeologiae ad exercitationem flavianah' lippiensem etc.
27. Baumgarten. de arctis cognitionis hum. limitibus in rebus div.
28. Zachariae Diss. de persuasoris humanae sapientiae verbis I Cor II. 4.
29. Judaeorum Lectio Audi etc.
30. Zachariae de morte Veterum in locis editis colendi Deum
31. Baumgarten Diss. de Omniscientia Christi in statu exinanitionis
32. Programma de exortuenda Sententia Luc. I
33. Baumgarten de consecratione sanctorum apud Pontificos usitata ad 1 Tim. II. 15. Roman. effecta
34. de Christo filio per resurrectionem ex mortuis demonstrato
35. Baumgarten de acquirendis donis optimis
36. Programma seculare
37. Programma Schreberii

ACADEMIAE FRIDERICIANAE

PRO-RECTOR

IO. TOB. CARRACH

JCTVS

POTENTISSIMO BORUSSORUM REGI A CONSILIIS INTIMIS FACUL-
TATIS JURIDICAE SENIOR PROFESSOR JURIS PUBL. ORDINA-
RIUS ALUMNORUM REGIORUM ET PROVINC. HALBER-
STADIENS. EPHORUS

ET RELIQVVS

SENATVS ACADEMICVS

ANNUA SACRA

PENTECOSTALIA

AD D. XVIII. MAJ. CL. IS. CC. LV.

INDICVNT

ADDITA COMMEMORATIONE

CONATVVM HENRICI GVILIELMI LVDOLFI

CIRCA ECCLESIAE ORIENTALIS SALVTEM

INDE A JAN. VSQVE AD D. XXX. OCTOBRIS

CL. IS. CC.

HALAE

E TYPOGRAPHEO LEHMANNIANO.



AB initio anni c1710 cc. ad diem usque V. Martii ad-
huc in Ægypto mansit LVDOLEVS; Cairi maxi-
mam temporis partem absumens; ceterum Roset-
tum quoque & Alexandriam profectus. Suam
circa nationes orientales curam his verbis prodidit:
„Multum in Oriente romanæ Ecclesiæ nocere de-
„prehendi vulgatam illam Romanorum senten-
„tiam, quod extra ecclesiam romanam nulla salus sit speranda: odia
„enim inter *idiotas* auget; sicuri deridentur ab illis, qui operationem
„gratiæ divinæ in se sentiunt, atque, *vita spiritualis instaurationem* ex-
„perti, adoptionis, per Christum obtentæ, certiores evasere. Me-
„lius rebus suis confulerent *Missionarii*, si, hanc sententiam dissimu-
„lantes, id tantum agerent, ut juventuti ad culturam ingeniorum,
„& imbibenda solidæ pietatis fundamenta *magisterio suo prodesse*,
„atque vita sancta & a studiis mundanis aliena magnam *doctrina* suæ
„existimationem conciliarent: *quemadmodum* Deo (*etiam*) & homini-
„bus majoris momenti officium præstamus, si *aliquem* a mundo ad
„coelum convertamus, quam si illum ex una secta in aliam alliciamus.
„Hoc observavi, non tantum christianos diversæ persuasionis, sed
„*etiam* ipsos Turcos, facilius admittere sermones de perversa homi-
„nis voluntate, sanctissimo Numini adversanti; & de vero amore
„erga Deum, in vita sancta se patefacienti, quam si cultum exterior-
„rem atque opinioniones receptas impugnes. *Miseranda* res mi-
„hi

19
35
20
36
37
21
52
6
7
8
9
10
11
12
13
14
15
16
17
18

hi visa est, quando audiui, quanto opere *Missionarii* desudaverint, ut
Cophiti *voces* de duabus naturis, (*quæ* in Christo (*sint*;) recipient,
Confitentur Cophiti & Abessini, quod *Salvator* noster sit verus Deus
& verus homo: & excusandi sunt (*in*) *dubitatione sua* circa vocabu-
la duarum naturarum, in Christo (*extantium*;) cum perspicaciores
inter nostrates (*de eo*) distinctam ideam vix habeant, quid vox
naturæ *sibi velit* in terrenis; quibus tamen cœlestia longe excel-
siora sunt. Veteres usi sunt *his verbis*: sicuti corpus & anima con-
stituunt hominem, ita Deus & homo Christum: atque (*id*) a Paulo
improbatis - (*) vaniloquiis accenserem, si duo disputarent,
utrum sint in homine duæ naturæ, nempe *constans ex materia & ma-*
teriae expert, sive corporalis & spiritualis, an - tantum una, nem-
pe humana? Facilius & felicius res christianismi inter Cophitos
tractaretur, si doctrina de veteri ab Adamo *oriundo* naturali homi-
ne, atque de novo e Christo *nascenti* hominæ probe inculcarentur.
Opinionem hanc meam non reticui *apud nonnullos*, cum quibus noti-
tiam contraxeram. Smyrnæ enim, Constantinopoli & Cauri Jesui-
tas, Franciscanos & Capucinos inveni: & Constantinopoli Domi-
nicanos quoque; hi tamen gente Græci erant, in Italia litterarum
studiis assueti. Plerosque tamen *presumptis opinionibus* laborantes de-
prehendi, &c. *Istud* mihi confitendum est: inter omnium religio-
num homines me hoc observasse, (*quod*) quo quis remotior a Deo
(*fuerit*;) eo pronior (*fuerit*) ad excludendum a Deo omnes reli-
quos, *diverse* a se sentientes. Certum interim est, hanc contra-
præceptum Christi (*admissam, fortamque*) alios condemnandi pruri-
ginem multum *adferre* ad fovenda internecina illa odia, quæ Mu-
hammedanis religionem christianam contemtibilem reddunt, atque
utrique parti valde noxia sunt; dum Turcæ utramque partem
exedunt, quando lis mota implorationem iudicis requirit.

Nunc studium videamus, quo ecclesiam orientalem comple-
xus est. Anglum, *inquit*, me reputabant, (*christiani quidam orien-*
tates) quoniam inter Anglos versabar; atque non semel mihi dixere:
nas cum ecclesia Anglicana sentimus: & valde contra *Papam* roma-
num excandescabant. Amicus quidam *romanocatholicus* mihi nar-
rabat: *similia* sibi aliquos dixisse, atque in Protestantibus investos fuisse.
Proh dolor! confitendum quidem est, maximam partem Christia-
norum in Oriente, crassissimis ignorantia & coecæ superstitionis
tene-

(*) Lu. inseruit: *βαλῆδος κρυφωταίς.*

Judicis requirit. Epist. de eccl. orient. msc. 1. 2. 3.

»tenebris immergi: *exercitationem* enim (*plerique*) christianæ fidei
»collocant in abstinentia – carnis, frequentibus signationibus Cru-
»cis, & osculationibus imaginum & Reliquiarum: nihilominus ali-
»quos inter illos inveni, qui evidentiori erga Deum amore feruntur,
»quam multi inter nostrates: qui, scientia sua *tumidi*, egregios Chri-
»sti servos se reputant, si magnifica de religione verba facere, atque
»placita sectæ suæ dextre defendere queant, – quanquam adoratio, in
»spiritu & veritate (*peragenda*), quæ Deo gratos adoratores efficit,
»non consistat in ejusmodi actibus exterioribus, quibus Antiquitas
»*pio consilio* rude vulgus ad interiora *ducere* voluit; non possum ta-
»men negare, me in ejusmodi actibus orientalium christianorum ta-
»lem interdum observasse *ardorem*, ut viscera mea (*quasi*) commota
»fuerint (*dolentis*) quod ad *ardorem religiosum* rectius exprimendum
»*justa informatione* destituantur, &c. Neque absimile est vero, quod
»misereticordissimus *animorum* scrutator, ejusmodi *religiosos* sensus, li-
»cet *cum errore* expressos, æqui bonique consulat, atque forsan magis
»iis delectetur, quam elegantissimis verbis conceptis nostratium
»precibus, sed ore *tantummodo* prolatis, &c.

»Omnes christiani Orientales Judæis olim exprobrato vitio la-
»borant, quod *placita humana, traditionum titulo insignita*, strictius
»observent, quam divina præcepta: *quemadmodum etiam* Muha-
»medani & *hodierni* Judæi christianis in *hac re nequaquam cedunt*,
»Sicuti *ista placita institutaque humana clericorum* autoritati & utilitati
»consulunt; ita plerumque *illorum pretium ususque ut retineatur*, majo-
»ri sollicitudine curant, quam (*ut*) ipsorum divinorum mandato-
»rum *vigeat obsequium*. Vnde non raro contingit, ut rude vulgus
»ejusmodi humana instituta divinis præponat, &c. Ceremoniis &
»earum splendido apparatu mire delectantur, &c. Adorationi (*Dei*,
»*in spiritu & veritate peragende*) valde obest, quod in linguis ignotis
»sacra fiant. Licet enim tam Armeni, quam Græci sua lingua in
»sacris utantur: lingua tamen *literaria* tam armena, quam græca,
»satis diversa est a vulgari idiomate ita, ut illiteratus Armenus &
»Græcus parum percipiat de lingua *literaria*, qua sacra fiunt. In
»Aegypto quoque multi inveniuntur, Græcæ ecclesiæ addicti, sed
»linguam Græcam ignorantes. In horum gratiam nonnulla arabice
»in templo leguntur, postquam primo Græce lecta fuere. *Idem*
»*Cophti* quoque *facere solent*, (*procurantes*), ut arabice explicentur,
»quæ prius lecta fuere in lingua Cophitica, quæ a nemine fere am-
»plius intelligitur. &c.

»Con-

19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37

„*Consuetudo* munera ecclesiastica pecunia comparandi haud inter
postrema mala ecclesiae orientalis est recensenda. Sicuti patriar-
cha magnas summas solvit; ita a metropolitibus & episcopis illae sunt
recuperandae. Hi iis, quibus *parociae conceduntur*, quantum pos-
sunt, exprimunt. Parochus, cura rei familiaris distentus, pecu-
niae acquirendae potius, quam salutem animarum *juvanda* intentus est.
Haec ad avaritiam *ducunt*, atque magnis *offensionibus (committendis)*
occasionem praebent; & inter nostrates ipsos avaritia clericos populo
odiosos & contemtibiles reddit. Inde orta mors Metropolitae Smir-
nensis, &c.

„Sine dubio magno impedimento rebus ecclesiae est, quod ju-
ventus omni fere educatione destituatur; neque *justa (cum)* cura
scholae institutae sint, (*in*) quibus juvenus non tantum ad pietatem
(colendam), sed *etiam (ad hauriendas)* cognitiones, vitae humanae
utiles, *ducatur*. Quanquam enim Missionarii erudiendae juventuti
operam suam offerant; pauci tamen, imprimis *ex iis*, qui eccle-
siae suae ardentius addicti sunt, illis liberos suos credunt; & quae
ab ipsis clericis orientalibus *habentur* scholae, neque *justa* metho-
do neque *recta* cura adornatae sunt. *Ad quod* accedit, quod (*in*) de-
fectu typorum libri necessarii non facile procurari queant. Armeni
quidem e Gallia typos acceperunt; quibus Constantinopoli nonnullos
libros Armenicos impressere: non vidi autem, quod dicta Novi
Testamenti praecipua, atque salutis *propria* fundamenta continentia,
impresserint. Si hoc fieret tam graece & arabice, quam armenice:
sine dubio (*id*) non tantum (*ad hoc*) utile esset, ut juvenus legere
disceret; sed *etiam (eo prodesset, quod)* haec locos memoriae suae im-
primeret, qui veritates, animum ad profectum in interiore homine
nutrientes (&) pascentes, continent. Ipsum Novum Testamentum
a paucis possideretur.

„Plerumque – Armenos mansuetiores & moderatiores *deprehen-*
der, quam Graecos. Et Armenus quidam *monachus* querebatur, quod
Graeci non tam *leniter* gentem suam tractaverint, cum possessione
sacri sepulcri potirentur, *quam faciunt* Romani. Neque in *consue-*
tudine mea observavi, quod Armeni tantum odii & contemtus erga
Graecos demonstraverint, *quantum* Graeci erga Armenos. Valde
mihi displicuit, quod in aliquo libro, (*qui farraginem complectebatur*)
precum Russicae ecclesiae, legerim: *veri christiani catholici hosce di-*
gitos adhibent: erat manus, digitos complicans, in margine libri
depicta: & non illos digitos: alio modo complicans digitos manus
iterum erat depicta: *sicuti faciunt execrabiles Armeni*. Interim

in imperio Turcico metus communis Græcos & Armenos satis
conjunctos tenet, &c. Non parum Christiani, Turcæ subiecti, lætan-
tur illo privilegio, quod diebus festis Paschæ libere se inebriare at-
que in publico joculari liceat. (*) Si eo tempore aliquis Turca Chri-
stianum molestia adficeret, judex contra Turcam Christiano faveret."

Jam observationes ejus cognoscamus de diversis ecclesiæ orien-
talis familiis. Primæ spectant ad Græcos. Scribit: "Circumfertur
quidem confessio fidei ecclesiæ orientalis: titulus (est:) ὁρθόδοξος ὁμο-
λογία τῆς καθολικῆς καὶ ἀποστολικῆς ἐκκλησίας τῆς ἀνατολικῆς: sed (quod) in
Gallia (typis) impressa (fuerit,) intelligitur ex literarum figura; licet Par-
thenius dicat: eam sibi Hierosolymis missam, - in episcoporum con-
ventu examinatum atque approbatam esse. In omnibus fere cum
Pontificiis (placitis) concordant &c. Græci episcopi non curant, -
spiritu (ne) sancto (nec ne) uncti sint illi, qui sunt (parochi) ordina-
di. Aliquis, (qui) ordinandus (erat,) interrogabat alium, quid sibi
esset respondendum, cum ordinaretur? Alter ipsi (hoc) suggerebat:
ἐναργιώσω, καὶ ἦμισα κατὰ λαμβάνω.

"Cum - die (memoria) nativitatis nostri Salvatoris, (dicato, qui in
diem V. Januarii incidebat) in urbe, Cairo, sacra Græcorum specta-
tum ivissem; horum aliquot e me sciscitabantur, quid de cultu tam
eleganti sentirem? dicebam: magnifica esse omnia; sed rem prin-
cipalem esse, animum ad Deum sublatum; in quo adoratio, in Spiri-
tu & veritate (peragenda) consisteret, &c. Forfan non ingratum tibi
erit, si istam solemnitatem, nativitatis Christi (memoriae dedicatam)
tibi recenseam. Postquam unam circiter horam, duce libro rituali
Græco, partim legissent, partim cantassent: duo clerici, egregie in-
duti, thuribus fumificabant patriarchæ, in sede eminentiori ex una
parte templi sedenti; & postea populo. Paulo post duo alii, cereos,
manu tenentes, coram patriarcha se sistebant, atque preces pro in-
columitate & prosperitate ejus recitabant, &c. (*) Quo peracto, eæ-
dem preces - (**) ab aliis recitabantur arabice. Interim e regione
adyti &c. collocabatur solium, loco aliquantum altiori; - taperibus
stratis, instructam brachiis posuerunt fellam, inauratam, atque serico
tegmine

(*) Lu. in margine adscripsit: *Servitutis præmium*; scilicet vile admodum,
simulque profanæ utentium mentis argumentum.

Christiano faveret. Ibid. 5. 6. 7. 9. 10. 16. 20. 21. 22.

Concordant &c. Lu. addidit voculam, *excepta*; sed hanc nihil sequitur.

(*) Lu. addidit *recitantes sequentem titulum*; sed hunc præter misit.

(**) Lu. inseruit & *titulus Recitabantur, recitabatur.*

19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34

tegmine rubri coloris vestitam. Deinceps presbyteri, ornatum pa-
triarchalem in patellis ferentes, ex adyto prodibant, atque ab utro-
que latere modo dicti solii consistebant. Quo facto, patriarcha, fede
sua relicta, solium adscendebat; ubi vestibus suis exuebatur atque
pontificalibus ornabatur. Exinde sacerdos quidam cereum accen-
sum ei porrexit, sequentia (verba) dicens græco idiomate: Sic lu-
ceat lux vestra coram hominibus, ut videant bona opera vestra, atque pa-
trem cœlestem laudent. Quo (cereo) accepto, patriarcha surgebat, at-
que, in gyrum se vertens, lucem, quam cereusedebat, populo mon-
strabat. Hoc facto, e solio descendebat, atque adytum intrabat, ele-
menta synaxeos consecratum. Interim pericopa epistolica & evangelica,
item precatio Dominica & Symbolum primo græce, deinde arabice
legebantur. Exinde consecratus panis & calix per templum cir-
cumferebatur, populo denudatione capitis & inclinatione corporis
id honorante. Patriarcha ad januam adyti, denudato capite id
exceptum introrsum referebat. Paulo post a janua adyti thuribulum
vibrabat ad purgandum populum: & tandem egrediens in sella qua-
dam confidebat; atque populo panem distribuebat, quem *avilbo-*
gov vocant, in imitationem *agaparum* primævæ ecclesiæ, ut videtur,
introducitur; quem quicumque accipiebat, (is) manum ejus osculaba-
tur. Inter alia ornamenta, quibus patriarcha decorabatur, erat
corona imperialis, & duplex stola: quem ornatum patriarcha alexan-
drinus hoc modo adeptus esse (fabulose) dicitur; sicuti ex historico
quodam Græco mihi id prælectum fuit. Imperator Porphyrogeni-
tus cum Patriarcha Constantinopolitano, Eustathio, rixabatur: &
cum a patriarcha verba aliquantum proterva emissa essent, Impera-
tor ipsi alapam impegit: quam ob causam patriarcha Imperatorem
sacrorum usu interdixit. Tandem ad dirimendam litem patriarcham
Alexandrinum, Theophilum, arbitrum elegere: qui, Constanti-
nopolim accersitus, hanc sententiam dixit: patriarcham lingua, &
Imperatorem manu esse plectendum. Duas imagines itaque cœreas
finxerat: & cum illi, quæ Imperatorem præsentabat, manum
amputasset, sanguinem emanasse (dicunt:) hocque miraculo omnes
spectatores valde fuisse commotos, & Imperatorem ipsi imposuisse
suam coronam, ac patriarcham illi induisse suam stolam; tributum
insuper huic (fuisse) titulum judicis orbis.

Cæterum hodiernus patriarcha Alexandrinus, GERASIMVS,
probæ indolis vir est: latinam & Italicam linguam Paravii didicit,
in veterum scriptorum ecclesiasticorum monumentis versatus (est) atque
fama vitæ boni exempli celebratur. Itaque ecclesiæ alexandrinæ optan-
dum

„dum esset, ut Deus senectutem ejus roboreret, atque per plures adhuc
„annos proroget. Quod mihi in sermonibus, cum illo habitis, (præ-
„cipue) placuit, (hoc est, quod ex iis intellexi, ipsum) erga christianos,
„alios ritus sequentes, caritate magna esse præditum &c. Unus vene-
„rabilis Antistes (*) querimonias apud me fidenter proferebat; (videlicet)
„quod inter suæ ecclesiæ sectatores Spiritus Christi adeo parce se
„ostenderet. Ingenue fatebatur, eam esse superbiam suæ gentis, ut
„mille rixas & turbas excitatura esset, nisi turcica servitus eam in offi-
„cio contineret. Ita misericordissimus (generis humani) Gubernator,
„dum castigat, non tam iram contra peccatores, quam amorem in præ-
„cavendis majoribus malis ostendit. Atque ipsa servitus, sub qua
„ecclesia Christi gemit, non tantum punit (homines,) a via Christi
„aberrantes; sed hoc utilitatis adfert, ut posteriores a via recti deflexus
„profanos compescat, &c. Patriarcham antiochenum, CYRILLUM,
„non vidi, a mansuetudine tamen mihi laudatus fuit.“

De Cophris hæc habet. „In templo Cophtrico libellum Coph-
„tricum, altari impositum, contuebar; e quo, rogatu meo, aliqua mihi
„prælegebat presbyter, qui nobis templum ostendebat: sed cum ex-
„plicationem peterem; confitebatur, se non intelligere. In Cairo
„veteri hoc templum (est;) eratque præ reliquis (ædibus sacris) cele-
„bre, quod subter istud monstretur locus, in quo b. Virgo cum in-
„fante, Jesu, per septennium substitisse dicitur, cum, monitu angeli,
„in Aegyptum, metu Herodis, fugisset. Hunc locum certa pecuniæ
„summa Latini a Cophorum patriarcha conduxerunt, ut sacra
„ibi faciant. Referunt, quod olim istud sacellum, tempore inunda-
„tionis Nili, aqua semper repletum fuerit, sed, postquam Latinis
„concessum esset, aqua amplius non intret; unde veritatem religionis
„romanæ probare conabantur. Muro clavos infixos, atque capillis
„circumvolutos videbam; atque audiebam, remedium contra capitis
„dolores esse, si dolentis capitis capilli abscissi clavo alligarentur, at-
„que clavus muro illi infigatur, &c.

„Est hodiernus patriarcha Cophorum, JOHANNES, vir egregius
„ad adspæctum, (&) bonæ indolis; sed solam linguam arabicam callet.
„Sicuti Latini Cophtris vitio vertunt, quod unam naturam in Christo
„(esse) statuunt, & levissimas ob causas uxores repudient: ita Cophtri
„Latinis exprobant e sum sanguinis suffocati; quod mortiferum pecca-
„rum existimant, occidentalesque ideo immundos judicant, De
„controversia, (quæ) circa duas naturas in Christo (versatur) supra lo-
„quutus

(*) Fortassis fuit idem patriarcha alexandrinus.
Laudatus fuit. Jbid. s. 24. 10. 11. 12. 13. 21. 24.

19
20
21
22
23
24
25
26
27
28
29
30
31
32
33
34
35
36
37

„quutus sum. Non quidem satis versatus sum in historia antiqua, ut
„exacte sciam statum controversiæ, in concilio chalcedonensi &c. de-
„cisæ: hoc tamen mihi certum videtur, quod Cophti vocem natu-
„ræ alio sensu accipiant, quam eorum adversarii: sicuti in disputa-
„tionibus (*hoc*) frequentissime accidit, ut *homines*, sibi invicem *adver-*
„*santes*, *diversos sensus habeant modorum loquendi*, de quibus dispu-
„tant. Cæterum divortia, quæ patriarcha Cophtis suis facile satis
„concedit, (*hic*) ea ratione excusat, quod metu Turcorum ista con-
„cedere cogantur. Nam *quando aliquem Cophtum tedium suæ mulie-*
„*ris capit*, iudicem Turcam adit; more Turcorum coram eo contra-
„ctum matrimonium cum alia scemina init. Quod matrimonium si
„patriarcha irritum declarare velit, iudex *Turcus* ipsum persequitur.
„Præterea multi primates Turci Cophtis, Aegyptum omnium opti-
„me cognoscentibus, rationes suas familiares credunt. Patronus
„*Turcus &c.* suo servo consensum patriarchæ *expetit* ad aliud ma-
„trimonium contrahendum; cui bonus Patriarcha nil negare audeat.“

De Habessinibus ita scribit: „Solus Abessinorum metropolita:
„quem nonnulli patriarcham vocant; dum scribunt, duos esse Coph-
„torum patriarchas: pecunia non *opus habet* ad acquirendam dignita-
„tem. Nam quando Abessini novum metropolitam a patriarcha
„Cophorum, Cairi habitanti, petunt; atque hunc in finem *legati*
„*Abessini Cairum adventant: clerici*, statura & forma corporis excellen-
„tiori (*præditi*) in desertum (*locum*) fugiunt, atque se abscondunt:
„non quidem *primævæ ecclesiæ exemplo, per modestiam dignitates decli-*
„*nantis*; sed *horre* patrium solum relinquendi: *adeoque* quasi cogendi
„*sunt* ad eam dignitatem. Dixit mihi Abessinus: moris esse, ut no-
„mina septem monachorum altari imponantur, atque, precibus *re-*
„*ligiosis* factis, una scheda a puero eligatur. Cujus nomen ei inscri-
„prum invenitur, (*ille*) eam dignitatem obire cogitur, &c. In ædi-
„bus dicti patriarchæ duos inveni Abessinos: cum quibus libenter no-
„titiam contraxissem; verum patriarcha adeo sollicitus est, ne cum
„Europæis familiaritatem contrahant, ut sine venia ejus exire non
„possint. Pia ipsorum simplicitas valde mihi placebat. Nam cum
„*precaionem* dominicam æthiopicam, ipsis dictantibus, æthiopicis
„literis scripsissem: valde lætabantur; atque mihi consulebant, ut
„custodirem (*illam*) atque memoriæ meæ imprimerem: scilicet existi-
„mantes, Deum ipsorum linguæ in *precaionibus* amplius adsuevisse.
„Quam simplicitatem tamen facile excuso; quando reputo, quod no-
„stratum unusquisque fere sibi *persuadeat*, suum cultum externum

Negare audeat. Ibid. 10. 11. 17.

Deo

„Deo gratiorem (*esse*,) quam eum cultum, quo aliæ sectæ utuntur. &c.
„Jesuita, &c. non ita pridem ex India per mare rubrum in Aegyptum
„reversus, mihi - narrabat: se in Matzua cum aliquo Abessino: fami-
„liaritatem contraxisse; atque in illo - bonam indolem & animum, amo-
„re pecuniæ vacuum, deprehendisse. Si Europæi nostri, scientiis
„ornati, a studiis sæculi (*similiter*) immunes essent; sine dubio majori
„cum ardore & fructu Dei gloriant (*amplificaturi*) & *humani generis*
„*emendationem* adjuturi essent. Supra mentionem feci, patriarcham
„Cophthorum valde sollicitum esse, ne Abessini sui cum Europæis con-
„suetudinem contrahant; (*hoc*) inde est, (*quod metuit*,) ne Europæi
„Abessiniæ denuo potientes, imperium istud suæ jurisdictioni eri-
„pant, atque reditus sui inde detrimentum capiant. Novum enim
„non est, quod clerici studiis mundanis curam circa salutem gregis
„prætexant.

„Certi adhuc quicquam tibi exponere nequeo de successu confi-
„lii *Societatis (romanae)* de propaganda (*religione christiana sollicita, di-*
„*recti*) ad Abessiniam. Illud falsum est, quod ante paucos annos *epi-*
„*merides* nostræ (*publicæ*) habebant: imperatorem Abessiniæ *missiona-*
„*rios* a Pontifice romano *expetivisse*. Sed verum est, quod Parisiensis
„*Mercurius* mense Octobri anni dno M c lxxxviii. nuntiabat: a quodam
„mercatore, *Hadji Ali* vocato, *negotianti in Abessinia & Aegypto*, quæ-
„situm fuisse medicum europæum *Imperatori* Abessiniæ: (*& addebat*,)
„quod aliquis Gallus, Chirurgus, *dictus Charles*, illi *Hadji Ali* fuerit com-
„mendatus; atque mense Majo dicti anni una cum ipso *Ali Cairo* di-
„scesserit (*duccens secum*) aliquem Jesuitam, P. BREVEDENT, tanquam fa-
„mulum. Cum *Cairo* essem; *Consul Gallicus* epistolam, a *Hadji Ali* scri-
„ptam accipiebat. *Significabat*: mense Martio superioris anni se e regno
„*Sennaar* iter suum versus Abessiniam profecuros esse. Propter turbu-
„lentos statum superioris Aegypti, impedidissima sunt itinera versus
„regnum *Sennaar ab (urbe) Cairo*: unde accidit, ut (*per*) plures menses *via-*
„*torum agmina*, interdum in via hæreant. Cum *Societas (romana)* de
„propaganda fide (*christiana sollicita*) Franciscanis æque ac Jesuitis *le-*
„*gationem* Abessiniam demandaverit; nonnulli Franciscani in Aegy-
„ptum missi sunt: quorum caput, P. Franciscus Maria de S A L E M, præ-
„fecti æthiopicæ titulo *insignitus*: (*qui*) senio & experientia, tam linguæ
„arabiciæ, quam rerum Aegypti, gravis (*est*, &) *historiam* Concilii Chal-
„cedonensis in linguam arabicam vertit, Romæ a *Societate*, de propa-
„ganda (*religione christiana sollicita*) impressam: *Cairo* in hospitio (*mona-*
„*chorum, nomine*) patrum de terra sancta (*appellatorum*) cum alio *monacho*
„moratur: in *Achmin*, superioris Aegypti loco, duo alii hospitium ce-
„pere:

perere : atque unius scientia medica incolarum favorem acquisivit : tres alii cum eodem viatorum agmine, (cum) quo - Charles (intravit,) regnum Sennaar ingressi sunt. Unus dicitur benevole a Rege Sennaarensi exceptus (esse) atque medicus regius factus, cum uno socio ibi subsistere : tertius in regnum Furgi perrexit ; ubi multi Romano-catholici, Lusitanorum, olim in Abessinia viventium, proles, degere dicuntur. Hodiernus Pontifex L. millia Scudorum ad (jurandam) legationem sacram aethiopicam donavit ; sicuti C. millia ad (amplificandam) legationem sacram Chinesem (largitus est.) Usura huius pecuniae Franciscanis, dictas legationes obeuntibus, quotannis penditur. De successu istius legationis abessinicae certi quicquam adfirmare nemo audet. Postquam Jesuitae, sub initio regni Fasladar, avi hodierni Imperatoris Abessiniae, expulsi fuere : capitale odium erga Europaeos Abessini ostenderunt ; & aliquot Franciscani, per Mazuam, per mare rubrum, & terrestri itinere per regnum Sennaar, introitum in Abessiniam tentantes, trucidati fuere. Meliora fata ab hodierno Imperatore, cui nomen JESU tribuunt, expectant. Non tantum enim celebris est ob pietatem, quae, si vera sit, a crudelitate aliena est ; sed etiam peregrinis favere, atque commercia cum exteris desiderare fertur. Unus Maronita, Chowadja MORAD vocatus, ter Bataviae gubernatorem belgicum convenit, illique literas ab imperatore suo attulit ; & cum non ita pridem, ex India rediens, Matzuam appulisset ; eodem circiter tempore quidam Graecus, Demetrius nomine, (ex) Matzua discedebat, mandato regio instructus, sed celans, quorsum tenderet. Incredibilibus cum molestiis iter terrestre (quo) in Abessiniam per Aegyptum & regnum Sennaar (itur) conjunctum est : non tantum propter Arabes & turcicos gubernatores, (qui) peregrinantes in Aegypto superiori misere vexant ; sed etiam propter solitudines, Aegyptum a regno Sennaar separantes, (ubi) ardoribus solis homines (pane) perimuntur. Monachi Franciscani, supra dicti, camelos suos ibi amisisse dicuntur ; licet hoc animal a creatore ad vincendas desertorum (locorum) molestias destinatum videatur. Minores essent molestiae, (si eo) per mare rubrum & Matzuae portum (iretur ;) nisi turcicus Bascha, in portu hoc residens, atque Abessinicus Bascha vocatus, commercium Abessinorum cum Europaeis summo cum studio impediret. Veretur enim, ne Abessini, ab Europaeis sive consilio sive instrumentis bellicis adjuti, ad recuperandas provincias maritimas idonei reddantur. Narrabat mihi supra memoratus Jesuita ; cum biennio circiter abhinc Morad - Batavia rediret, atque dona a Gubernatore batavico ad Negusum adferret, Bascham valde sollicitum fuisse, ne forsitan donorum praetextu clam arma in Abessiniam inferrentur.⁶⁶

Die circiter V. Martii apud Alexandriam in navem adscendit Ludolfus, ac in Italiam pervectus est, indeque in Galliam ; qua & Belgicis regionibus peragratis, die XXX. Octobris redux in Angliam advenit.

B 2


Sub-

Inferrentur. Jbid. 16. 17. 18. 20.

Subjungenda esse videantur, quæ a verbis quibusdam suspensionem præ-
 vo consilio imminuti diversorum Ecclesiæ coetuum discriminis, fractæque
 circa hoc curæ, avertant; & excusent, quæ in caritatis christianæ ardore
 facta est, accusationis, quam adhibuisset theologus, omissionem: sed gene-
 ratim id jam fecimus alibi, scilicet in Ludolfino *Consilio de universæ Ec-
 clesiæ salute procuranda*. Hoc autem, carissimi Cives, considerationi
 vestræ mandamus, quod passim memoratum est de religiosa inter sacra
 publica animi attentione in populo, parum instructo: cum metuendum
 sit, ne, vobis, quotquot accuratioris institutionis publicæ fastidiosi huc-
 usque fuistis, contemptores, partimque profanatores, in socordia ista ac
 impietate permanentibus, animus omnem rerum divinarum exuat sensum,
 ac in dominatum vitiositatis obstinatissime mancipetur. Sanctissimus Spi-
 ritus repurgare vos paratus est, & vincula rumpere cupiditatum, quibus
 ætas vestra plerumque se finit constringi, & ducitur, nisi intercedat libe-
 ratio, in propinquum exitium. Sacris interfuturi, cum aliis modis re-
 cte præparate animum, tum ultionem cogitate, propudiosis innocentium
 ad concipiendam animi impuritatem sollicitatoribus divinitus paratam:
 ipsi quoque averfamini, quod impuram incendit cupiditatem, alitque; &
 quas notum est faciem, cultum, ornatumque lucro speive opimiori, ut
 Tertulliani verbo utar, prostituere: mentem convertite ad eum, qui pio-
 rum Præconum voce per hos dies vos ex securitatis somno it excitatum,
 & beato illi pauciorum aggregatum numero, qui in Verbi divini pascuis
 se detineri patiuntur, & robur ibi acquirunt, ac puram perennemque
 carpunt voluptatem. P. P. in Academia Fridericiana, die XVII.
 Maj, clō Ia cc LV.


Divinitus paratam, Marc. VIII, 42. 47. 2 Petr. II, 14. Matth. XVIII, 7.
Incendit cupiditatem, Matth. V, 28. 29.





VIII 3.30 3238
39

189. 48.
A. 11.
A. 11.



gustanis illis comitiis interfuimus, gratissimoque animo compositionem illam & pacem de rebus ad religionem atque finentibus, ibidem faciam. Vt ergo pietas nostra erga deum solenni ratione declaretur, d. d. XXX. Septembris producam centes optimam spem de se praebentes, nobisque dilectissima verba huic tempori & loco accommodata facturos, hoc or-

VRITIVS AVGVSTVS de THVM-
MEL, eques Misn.

culo primo catechismi maioris in libris ecclesiae nostrae symboli-
deum patrem creatorem & conseruatorem tam omnium rerum,
n huius scholae nostrae canet ode Germ.

ROL. LVDOV. FRIDER. BETKENI-
S, Schmidebergensis Saxo,

am euangelico-Lutheranam de deo filio I. C. *Ἰσανθρώπῳ*
o humani generis saluatore ex eiusdem catechismi articulo altero
bus hexametris eloquetur.

HRISTOPH. IOH. GOTTFR. HAY-
LANNVS, Portensis Misn.

eficiis atque effectis dei spiritus sancti, in ecclesia & scholis, ex art.
o aget. Latine.

OH. ADOLPH. GOTTLOB TRAVT-
WEIN, Schoenwerd. Misn.

am belli Schmalcaldici enarrabit. Latine.

V. CHRI-

